



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An entia infinita simpliciter, sive Deus, ponatur in Prædicamento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

mentorum; si enim Prædicamentum exigit res exprimi in concreto (quod declarabitur infra) sic exprimi debent: si in abstracto, in abstracto.

IV. C O N D I T I O.

LXI. **Q**uartò, entia prædicamentalia debent esse entia per se; entis verò per se, non facile traditur definitio; communiter quidem definitionis loco enumerantur ea, quæ ab omnibus ut entia per se recipiuntur; verum id nimis prolixum est, & dubium; quare malim dicere ens per se esse, vel ens omnino simplex, ut Deus, Angelus; vel, si sit compositum, ens quod est aliquo modo unius naturæ per unionem rerum ejusdem Prædicamenti per modum potentiæ & actus, naturæ & subsistentiæ, &c. Vnde ab entibus per se, excludit concreta accidentalialia Physica ex subjecto & formâ diverforum Prædicamentorum.

LXII. Nec refert, quòd Aristoteles Metaph. Cap. 6o. exemplificet in concretis accidentalibus *quanto & quali*, ita ut dixerat, *ex actu & potentia fieri unum per se*; nam intelligi potest de uno per se latè sumpto; vel dicendum exempla ipsius sæpè fallere: Capite enim 5o. de Anima lib. 1o. dicit, *Deum esse compositum ex elementis*. Et 5o. Metaph. Cap. 26. *Deum esse animal.* & 1o ejusdem, ait, *Deum esse actum purum simplicissimum, corpore & sensu carentem*; quæ sunt opposita. Adde, ipsum frequenter dicere quòd, *quidquid advenit enti in actu, non faciat unum per se*, ubi ab ente per se excludit concretum accidentale Physicum.

V. C O N D I T I O.

LXIII. **Q**uintò, entia prædicamentalia debent esse entia finita, putà voce, nam voces infinitæ, ut *non homo, non lapis*, &c. nihil determinatè significant, sunt sinè numero & infinita; ac proinde nimium confunderent Prædicamenta.

LXIV. Nec dicas, cum communi, hanc conditionem se tenere ex parte rei, & per illam excludi Deum infinitum: nam licet id communis affirmetur, sine sufficienti tamen fundamento affirmatur, quia Deus à cæteris rebus maximè distingui debet, præcipuusque Prædicamentorum scopus & finis, est rerum (quibus Deus, utpotè 1a res, maximè annumerandus) essentias inter se distinguere, ac confusionem earum inter se, removere. Vnde non est, quòd per expressam conditionem à Prædicamento excludatur re infinitum, quod unicum est, ac proinde non confusivum.

LXV. Adde, has conditiones esse purè ad placitum, & ex sola institutione nonnullorum Philosophorum, ex quibus multi, hanc, ut fini Prædicamentorum parum conformem, absolutè rejiciunt, & tales sunt illi, qui nobiscum sentiunt Deum poni in Prædicamento, quos infra referemus.

VI. C O N D I T I O.

LXVI. **S**extò, entia prædicamentalia debent esse *realia*, prout reale opponitur enti rationis strictè; tum quia ens (quod Aristoteles in entia decem Prædicamentorum divisit) non est univocum ad entia realia & rationis; tum quia entia rationis sunt tam varii generis, ut vix ad ullum Prædicamentum reduci possint.

VII. C O N D I T I O.

LXVII. **S**eptimò, entia prædicamentalia debent esse tota, sive entia còpleta; id est, talia, ut si singularia, non exigant concurrere ad còposi-

tionem Physicam entis per se; si verò Univerfalia, apta sint in Prædicatione in quid de omnibus, quæ sunt infra se usque ad individuum completum prædicari, & subijci omnibus, quæ sunt supra se usque ad supremum Genus.

LXVIII. Nec refert, quòd anima rationalis, in rigore, sit magis completa, quàm hæc albedo; & tamen excludatur hic ab entibus completis, hæc albedo verò includatur; quia licet sit nobilior, utpotè substantia & magis completa, secundum entitatem Physicam, aut etiam secundum considerationem Metaphysicam, quæ tendit in res secundum suas naturas & proprietates; non est tamen magis completa secundum còordinabilitatem in Linea prædicamentali, sive secundum considerationem Logicam, quæ tendit in res, quæ in Linea prædicamentali còordinabiles, ut Genera, Species, &c. à quibus excluduntur entia Physicè incòpleta, sive ordinata ad componendum ens per se Physicum.

D V B I U M III.

An entia infinita simpliciter, sive Deus, ponatur in Prædicamento.

LXIX. **D**ico cum Nominalibus Okamo, Gabriële, Gregor. Arim. Marfilio, Guilielmo de Rubione, quos citat Vafq. 1. p. tom 1o. Disp. 22. Item è nostris Magistro Ioan. de Bachone in 1o dist. 8. art. 2o, & è Recentioribus Hurtado, Arriaga, Oviedo, &c. Deus ponitur in Prædicamento. Sed antè probationem

Suppono, Deum quoad se & intrinsecè Physicè ac objectivè esse infinitum in omni Genere perfectionis possibilis, juxtà illud Psalmi 144. *Magnitudo ejus non est finis*. Et Baruch. 3o. *Magnus est, & non habet finem*; non tamen quoad nos & extrinsecè, formaliter & sub omni conceptu, quo à nobis concipitur, ut ens, ut Substantia, &c. quia Deum posse esse in Genere extrinsecè & ex parte actus nostri tantum, fusè probatum est ab Autoritate & ratione Tract. 2o. Disp. 4. de Specie dub. 7o. Vnde Eximius P. noster Ioan. de Bachone in 1o Dist. 9. q. 1. art. 2o sic scribit, *impugnat* (putà Ioan. de Bachone) *rationes Scoti, quibus probatur Deum non esse in Genere, innuitur enim falsis fundamentis: id namque, quod ponitur in Genere, non debet esse in potentia, vel limitatum & finitum, ut contendit Scotus*. Rationem reddit infra; quia ratio Generis non necessariò concipitur in potentia, limitata, &c. in actu signato; *potest enim quæcumque ratio* (inquit) *Generis concipi depurata, non considerando tales esse, &c. Præsciindendo in actu exercito*. Hoc supposito

LXX. Probatur 1o. conclusio autoritate Augustini lib. 5o. de Trin. c. 8o. ubi dicit *quædam Prædicamenta v. g. Substantiam, Relationem, Actionem, &c. proprie dici de Deo, cetera verò Metaphoricè*: si verò alibi ut ejusdem lib. Cap. 6o. & lib. de cognitione veræ vit. cap. 2o. neget, Deum esse propriè Substantiam, & poni in Prædicamento Substantiæ restrictim loquitur, & nomen Substantiæ accipit in sensu in scholis minùs usitato, videlicet pro ente quod Physicè accidentibus substat: non verò absolute sumèdo nomè Substantiæ pro ente per se subsistente, prout sumi debet. Ita noster Ioan. de Bachone dist. 8. supra cit. *Quando Augustinus dicit, quòd abusive Deus dicitur Substantia: dico quòd verum est, limitando Substantiam ad istum secundum modum, quo Substantia dicitur à subijci accidentibus, &c.*

LXXI. Probatur

LXXI. Probatur 2^o ratione, quia nihil obstat quo minus Deus ponatur in Prædicamento, ergò, &c. Probatur antecedens, quia habet verum Genus, & veram Differentiam, ergò, &c. Probatur assumptum pro 1^a parte, quia pro Genere habet substantiam prout abstrahit à finita & infinita, cui convenit definitio Generis suprà allata, ergò, &c. Probatur assumptum pro 2^a parte, quia pro Differentia habet afeitatem absolutam, &c. quæ in suo conceptu formali non magis ex parte conceptus nostri includit Substantiam, quàm perfectas includat ens; rationalitas animal, &c. Deinde licet includeret in suo conceptu formali Substantiam, quia tamen Substantia illam in suo conceptu formali non includeret, Deus non minus poneretur in Prædicamento, quàm Substantia, quæ ab omnibus in Prædicamento ponitur, licet in plurimorum Sententia, ejus Differentia videlicet perfectas in suo conceptu formali includat ens, quod in ejus definitione est loco Generis, ergò, &c.

LXXIII. Confirmatur 1^o. ratio formalis Generis, nihil definito est intrinsecum, sed extrinsecus conceptus confusus definiti, Dei v. g. in ratione Substantiæ præcisè prout abstrahit à finita & infinita: ratio verò formalis Differentiæ similiter nihil est definito intrinsecum, sed conceptus extrinsecus distinctus definiti, Dei v. g. præcisè secundum afeitatem absolutam, &c. ergò admitti potest in Deo compositio ex vero Genere & vera Differentia, haud minus, quàm admitti possit, Deum verè concipi diversis conceptibus, confuso & distincto, ergò, &c.

LXXIV. Confirmatur 2^o. potest à tribus Personis Divinis abstrahi ratio communis univoca Personæ, ergò & à Deo & Angelo ratio communis univoca Substantiæ. Probatur consequentia à pari: non enim magis Substantia dicit in suo conceptu formali afeitatem Divinam, quàm Persona Personalitatem Divinam, ergò, &c.

Pro solutione objectionum

LXXV. Adverte, entia prædicamentalia posse bifariam considerari: 1^o intrinsecè & ex parte objecti, quomodo sunt formalissimè hoc, nec quidquam includere possunt, quòd sit denominativè Genus & Differentia. 2^o extrinsecè & ex parte actus, quomodo possunt esse Universalia & denominativè Genus & Differentia, per quod nullo modo intrinsecè mutantur, ut patet. Vnde dicit, Petrum intrinsecè & ex parte objecti non includere animal rationale, quia illa sunt denominativè Genus & Differentia: bene autè extrinsecè & ex parte actus, quo considerantur in ordine ad vitam, sensationem & ratiocinationem. Vnde homo idem est, quod conceptus formalis Petri v. g. in ordine ad vitam, sensationem & ratiocinationem; animal, idem quod conceptus formalis ejusdem Petri in ordine ad vitam, & sensationem. Rationale idem quod conceptus formalis Petri in ordine ad ratiocinationem. Hoc autem notato,

LXXVI. Objicies 1. nullo modo potest dici Deus Substantia Prædicamentalis, ergò non ponitur in Prædicamento. Probatur antecedens, quia Deo non convenit 6. proprietas Substantiæ, quæ est recipere contraria, ergò, &c.

LXXVII. Confirmatur ex P. Oviedo Metaph. contrav. 5^a. una ex conditionibus ad ens prædicamentale requisitis, est ut sit ens finitum, quàm ideo à Philosophis requisitam dicit, ut significaretur, quantum Deus infinite perfectus à creatura distaret, ergò, &c.

LXXVIII. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem, respondeo istam 6^{am} proprietatem, vel non esse recipiendam, quia procedit ex ignorantia Fidei & defectu perfectæ cognitionis in Aristotele, omnium Substantiarum, inter quas 1^a est Deus: vel ly contraria intelligi disjunctivè, intrinsecè, vel extrinsecè, qualia sunt odium & amor, affirmatio & negatio, quæ Deo extrinsecè conveniunt.

LXXIX. Ad confirmationem patet ex dub. 2^o ly finitum se tenere ex parte vocis, ac proinde per illud Deum non excludi à Prædicamento: nec rectè Oviedo docet, illam conditionem à Philosophis inventam ut significaretur quatum Deus perfectus distaret à creatura; quia aliqui ceteræ conditiones entis prædicamentalis similiter inventæ essent, ut significaretur quantum entia prædicamentalia distarent à sibi oppositis, ut v. g. quantum entia per se ab entibus per accidens; quantum entia realia ab entibus rationis, privationibus, negationibus, &c. quantum completa ab incompletis, &c. quod est falsum: nam illæ conditiones inventæ sunt ad distinguenda entia prædicamentalia inter se, & ab aliis; item ut sciretur in quo præcisè disconveniant, quod fieri non potest per totalem exclusionem à Prædicamento. Deinde eo dato, non apparet per quid à Prædicamentis excludantur voces infinitæ, ut non homo, non lapis, &c. quæ necessariò excludi debent ob maximam confusionem, quam aliqui ingererent, & non ingerit infinitum simpliciter, ut patet ex dubio citato.

LXXX. Objicies 2^o ex PP. passim, ut Dionysio cap. 1^o & 2^o de Divinis Nominibus, Deum non esse ens, sed suprà ens, Deum non esse Substantiam, sed suprà Substantiam, Deum nihil esse eorum quæ sumus, ergò, &c.

LXXXI. Respondeo, illa non intelligenda esse formaliter & ex parte actus, quomodo solum docemus, Deum includere verum Genus, sed realiter & ex parte objecti, quomodo est summè perfectus, & infinitus in omni Genere entis. Non verò ens aut Substantia, vel quidpiam eorum quæ sumus, quia ista dicunt imperfectionem, quæ in Deo ex parte ipsius Dei & objectivè esse non potest; quia quidquid objectivè in Deo est, objectivè simpliciter infinitum est.

LXXXII. Instabis quidquid est in Deo, est formaliter ex parte conceptus nostri & Metaphysicè infinitum, ergò solutio nulla. Probatur antecedens; quia quidquid est in Deo, non potest esse finitum, & inter finitum & infinitum non datur medium; ergò, &c.

LXXXIII. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem nego consequentiam, & dico inter finitum & infinitum non dari quidem medium realiter objectivè & à parte rei, bene formaliter & sub conceptu: quid enim prohibet, me concipere Substantiam, non concipiendo, an sit finita vel infinita, sicut illam concipere possum non concipiendo quòd sit materialis vel immaterialis, animata vel inanimata; imò cum hæc Substantiæ essentiam non ingrediantur, me ita illam concipere posse, haud secus, quàm Substantiam definire, omnino necessarium est.

LXXXIV. Inferes, ergò formaliter & sub conceptu, Deus non est Deus. Probabis consequentiam 1^o. quia ut sic includit perfectibilitatem & potentialitatem, ac per consequens nō est perfectissimus & purissimus

purissimus actus qualis esse debet. 2^o. quia dari posset ens perfectius, illud scilicet cui repugnaret in suo conceptu formali includere aliquid potentiale & perfectibile, quod est possibile & non chymæricum, videreturque Deus tale ens debere esse, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo 1^o distinguendo illatum: ergo Deus formaliter & sub conceptu suo formali adæquato non est Deus, nego consequentiam: formaliter & sub conceptu suo formali inadæquato, concedo consequentiam; falsa enim est prædicatio, substantia est Deus; pars Metaphysica ut talis, est totum Metaphysicum; ut omnes fatentur. Vnde mirum non est, si ut sic includat perfectibilitatem, potentialitatem, &c. non sit perfectissimus, purissimus actus, &c. nam omnino necessarium est, ut illud, quod non est Deus, includat perfectibilitatem, &c. omnino modo, quo non est Deus; realiter, si realiter; sub conceptu, si sub conceptu tantum, sicque ad 1^{am} probationem consequentiæ patet: ad 2^{am} verò

LXXXVI. Respondeo, tale ens omnino repugnare & chymæricum esse, non secus ac omnino repugnat & chymæricum est, dari substantiam, quæ præcisè concipi non possit secundum prædicata substantiæ præcisè essentialia. Ex quo ulterius sequitur, repugnare Deum non posse inadæquatè ex parte conceptus nostri concipi præcisè secundum quod substantia est.

LXXXVII. Respondeo 2^o retorquendo argumentum in Personam Divinam, quæ non minus est infinita, quam Deus ipse, ab illa tamen abstrahi potest ratio communis univoca Personæ, quæ dicit perfectibilitatem & potentialitatem sub conceptu, non est actus purissimus sub conceptu, &c. licet ex parte objecti sit Deus ipse.

LXXXVIII. Vrges 1^o si Deus sub cōceptu suo formali inadæquato includat perfectibilitatem, potentialitatem, &c. vera erit hæc prædicatio, Deus sub conceptu suo formali inadæquato est imperfectus; non est actus purissimus, &c. quod male audit, ergo, &c.

LXXXIX. Respondeo negando, hanc propositionem male audire, æquivalere enim huic, quod non est Deus sub conceptu, est sub conceptu imperfectum, non est actus purissimus, &c. quam facile putarim æquivalere huic propositioni Fidei, quod non est Deus realiter, est realiter imperfectum, non est actus purissimus, &c. Item huic, Verbum ut sub conceptu inadæquato Personæ in communi, est imperfectum, non est actus purissimus, &c. quæ ab omnibus doctis Personam esse Universalem respectu 3. Personarum, admitti debet; vel etiam huic, Conceptus formalis Dei inadæquatus, secundum quod est Substantia, est perfectibilis per conceptum ejusdem, secundum quod est in se, &c. non est actus purissimus, &c. Vbi vides totam imperfectionem cadere in actum Deo extrinsecum, non verò intrinsecè in Deum, in quo tantum esset inconvenientia.

LXXXX. Vrges 2^o, saltem sequitur, fore aliquid Deo prius, scilicet Substantiam, ens, &c. sed hoc videtur absurdum, ergo, &c.

LXXXXI. Respondeo distinguendo sequelam, ut antè: sequitur aliquid fore Deo prius sub conceptu & prioritate improprie dictâ non convertibilitatis, non illationis, &c. concedo sequelam. Objectivè & prioritate naturæ, vel proprie dictâ, nego sequelam; hoc quidem foret absurdum, non item prius; quia illa prioritas præcisè oritur ex imperfectione conceptus nostri; & omnino refundenda est in

conceptum ut afficientem naturam inadæquatè ex parte actus. Vnde melius, solum sequi diceretur, conceptum aliquem formalem Dei inadæquatum fore modo dicto, priorem alio conceptu formali adæquato ejusdem, in quo nulla absurditas.

D V B I V M IV.

An Christus, Angeli, Celi ponantur in Prædicamento.

LXXXII. Suppono, dubium procedere in hypothesis, quod Deus non ponatur in Prædicamento; aliàs si ponatur, Christum, utpote Deum, poni necesse est. Deinde ulterius supponi debet, dubium procedere de Christo quâ hoc homine. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

LXXXIII. Dico 1^o. Christus quatenus hic homo Physicè, eodem modo, quo cetera individua hominis, ponitur in Prædicamento.

LXXXIV. Probatur, quia nihil obstat, ergo, &c. Probatur antecedens, quia si quidpiam obstaret, maximè esset Subsistentia Divina, quâ terminatur humanitas Christi; sed illa non obstat, ergo, &c. Probatur minor, quia ut dicemus dubio sequenti, Prædicamenta (etiam substantiæ) ordinantur in abstracto Physico, Christus verò ut hic homo in abstracto Physico, dicit solam sinè personalitate humanitatem, ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

LXXXV. Dico 2^o in Sententia Adversariorum, qui dicunt, Prædicamentum substantiæ ordinari per concreta, difficulter defenditur, Christum ut hunc hominem Physicè subsistentem, poni in Prædicamento.

LXXXVI. Probatur, quia sicut hic homo, dicit omnia in Individuo & Physicè determinata, ita Christus ut hic homo Physicè subsistens, dicit Subsistentiam in individuo & Physicè determinatam; quæ proinde esse debet creata vel increata, finita vel infinita; sed non 1^{am}, quia alioqui deberent esse in Christo duæ Subsistentiæ, videlicet finita & infinita, quod est hæreticum; ergo 2^{am}, ac per consequens Christus ut hic homo Physicè subsistens, importat determinatè Subsistentiam Divinam Verbi, quæ non magis poni potest in Prædicamento, quam Deus ipse, utpote exclusa, sicut Deus in illa Sententia, per ly finitum, unam è conditionibus prædicamentalibus.

LXXXVII. Nec dicas 1^o, Subsistentiam esse extrâ essentiam naturæ humanæ; sicut infinitudo lineæ extrâ essentiam lineæ; quæ proinde non impedit, quo minus ponatur in Prædicamento. 2^o. Subsistentiam non esse de constitutione naturæ humanæ, sed de complemento, ac proinde conditionem dumtaxat, sinè qua non foret completa, & non poneretur in Prædicamento.

LXXXVIII. Ad 1^{am}. enim Respondeo, Subsistentiam esse quidem extrâ essentiam naturæ humanæ abstractim consideratæ, quomodo, secundum nos, ponitur in Prædicamento; non verò extrâ essentiam illius concretim ut Physicè Subsistentem consideratæ,